







*[Faint, illegible text in the left margin, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

ORDINIS PHILOSOPHORVM  
IN  
ACADEMIA WITTENBERGENSI

DECANVS,  
**IOANNES  
BAPTISTA  
ROESCHELIVS,**

PHILOS. ET THEOLOG. DOCTOR,

ET  
HVIUS PROFESS EXTRAORDINARIVS,  
ILLIVS VERO ORDINARIVS,  
INGENVARVM ARTIVM, ET PHILOSO-  
PHIAE STUDIOIS

S. P. D.

*[Faint, illegible text in the lower portion of the page, likely bleed-through from the reverse side.]*





T hominis decus ingenium est, sic ingenii lumen scientia, et rerum cognitio. Hinc nihil in rebus humanis magis suspicimus, et admiramur, quam excellens, et literis probe excultum ingenium. Hoc omnes quandam spirare agnoscunt divinitatem, quae mentes, animosque arcano impetu ad se trahat, et singulari repleat veneratione. Intelligentiores Solem, et astra, totamque rerum univ ersitatem, tanquam opera summi Opificis, spectant: at vigorem animae, qui in excessu nitet ingenio, tanquam ipsius summi boni tyfum, intuentur, et Deum ipsum quodammodo referre arbitrantur. Sicut enim Mens Divina hoc proprium habet, ut, ipsa immota, moveat, et agat omnia: sic, licet anima septo suo minime exeat, cor tamen animae, praestanti mentis facilitate, et celeritate, veluti alis instructum, summa, et ima pervagatur, univ ersumque mundum lustrat, scrutatur, atque disponit. Idem rerum signa, et simulacra ex nihilo condit, condita cum aliis communicat pariter, et sibi retinet, et, miram dictu, quibus nihil largitur, eos dominos efficit maximorum thesaurorum, et inaeftimabilium illorum honorum, sapientiae, et prudentiae, reddit participes. Vt nihil omnino fit, quo propius ad suum Conditorem homo accedat, quam incredibiles illi animi motus, et insita illa menti humanae vis intelligendi, agendi, seipsum, et alios regendi, virtutes denique exercendi: quibus praesaepe muneribus alter alteri mirabiliter praestat. Neque enim vultus hominum magis sunt diversi, quam insitae motiones; nec pictura maiorem rerum varietatem suis describit coloribus, et lineis, quam mirifica natura in ingenio ostendit humanis. Experti id ipsum sunt plus nimium, qui varia ingeniorum discrimina notare, aut diversas illorum proprietates exponere, distinctosque characteres dare instituerunt: IO. HVARTVS, IO. IMPERIALIS, et EDO NEVI VSIVS. Quorum hic, tam inenarrabili dissimilitudine, veluti divino impetu commorus, non sine ingenio ita canit.

*Quam multis animos hominum Natura figuris  
Exprimit, in lufus ingeniosa suos.  
Mille vides Morum species: discrimina mille:  
Mille coloratur Mens variata notis,  
Vix in tam variis fundit se Terra colores,  
Florida cum Veris tempora Phoebus agit:  
Vix tam diversis scintillant sidera flammae,  
Cum nox a medio flagrat amica polo.*

Eminent autem inter omnia, quantum cupressi inter arbores, quantum Luna inter sidera minora, facile ingenia illa, quae absque ductore, vel monitore sapiunt, et sua sponte in interiora rerum penetrant, atque, quid expedit, quid praestantissimum, optimumque, quidve res ipsa sit, sine ulla perspiciunt difficultate. Hinc rerum inventores inter Deos relati, et antiquissimi sapientiae doctores: Poetae, Vates, et Expiatores, a Mulis docti, et autodidacti haberi cupiebant. *Αυτοδιδάκτες* enim Graeci vocabant eos, qui *Θεία μύρια* a seipsis, absque ulla disciplina, sapientes, aut prudentes exiterunt. Nec dubium est, quin ingenia primi census, et existimationis, uti divini oribus gaudet dotibus, et paene supra humanae sortis fastigium asurgunt: sic proprio Marte ad stupendam rerum notitiam pervenire possint. Cum enim ad inveniendum expedita celeritate, ad penetrandum singulari acumine, ad deliberandum sapiente consilio, ad reminiscendum tenace memoria valeant; nihil quoque occurrere potest tam arduum, quin contingant; nihil tam implicitum, quin evolvant; nihil tam difficile, aut operosum, quin aut perficiant, aut superent pretiosa naturae pignora, qualia in subsidium, tutelamque humanarum rerum Deus toties excitat, quoties aut labentes in deterius mores emendari, aut in veterata disciplinis barbaries detergi debet. Itaque nihil in hanc rem necesse est cum *Abi Isafar Ebn Tophal*, nescio quem, confingere, aut somnari *Hai Ebn Yokuban*, qui, iuxta Avicennae sententiam, terra factus, iuxta alios vero a matre expositus, in deserta insula Wakwak, a capra enutritus, adultiorque factus, se ipso magistro, et constanti, perpetuaque contemplatione usus, eo usque in Naturae scrutinio, et studio sapientiae progressus fuerit, quo plus ultra procedere non nisi revelationis ope detur. Non desunt alii Viri, fama super aethera noti, et de quibus nemo dubitat, et vixisse eos, et multarum scientiarum laude floruisse. De Pherecyde Syro constat, eum absque ullo praecceptore tantum profecisse, ut inter Pythagorae praecceptores non postremum invenerit locum, et gravissimus scriptor TATIANVS Pythagoricam philosophiam *Φερεκυδους κληρονομίαν*, Platonis *Φερεκυδους μίμησιν*, vocet. Hippocratem, nullis adiutum praecceptis,

artem

artem salutarem ad summum perduxisse, constans multorum est sententia. Epicurum de se iactare solitum, accepimus, se sibi ipsi magistrum fuisse: quod repetit, et patruo suo attribuit IO. FR. PICVS. Apud Romanos celebris est, qui primus de Phoenice scripsit, Manilius, *senator*, ut PLINIUS ait, *maximis nobilibus doctissimis, doctore nullo*. Idem de Virgilio perhibet PETRARCHA, quem vero plurimos mortuos, quos imitaretur, habuisse, non inficiatur MACROBIUS. AVGVSTINVS de seipso testatur, se, quicquid de arte loquendi, et differendi, quicquid de dimensione figurarum, et de Musicis, et de Numeris sibi occurrisset, sine magna difficultate, nullo hominum tradente, intellexisse. Quid memorem Ioh. Briccium, de quo ERYTHRVS mira tradit? Quid Petreum Tiarum, quem nihil unquam reperisse, quod non suopte Marte, et sine alterius ope plenissime perceperit, M. ADAMI refert? Quid Alpharufficorū, Nicolaum Schmidium, Variscum, quo de miracula narrat, IO. SAVBERTVS? Primus autem, cui autodidacti nomen tributum legimus, est Phemius Muscus. Hic enim, inter procos Penelopes deprehensus, et cum his male mulcandus, orat Vlysem, ut sibi parcat, in sui commendationem, praeter artis excellentiam, et hoc afferens, quod citra opem magistri Musceni didicerit. Sic autem inquit:

Ἀυτοδιδάκτος δ' εἰμί. Θεὸς δὲ μοι ἐν Φρεσὶν οἴμας

Παντοίας ἐνέφυσεν.

*Ipse a me edoctus sum: Deus autem mihi in mentibus cantilenas omnes iniecit.*

Nisi forte Homerus per Phemium seipsum designare voluit, perinde, atque, ex communi scholae Platonicae sensu, quicquid idem de Demodoco scripsit, de sua ipsius arte scripsit. Mihi certe verisimilimum videtur, MAXIMUM TYRIVM studio potius, et de industria, quam memoriae lapsu, aut errore, ceu P. PETITO et H. STEPHANO vitium, Demodocum cum Phemio commutasse: quemadmodum et Aristoteles, demonstraturus, nativum bonum maius esse eo, quod industria quaesitum, sed poetam memorare, qui dicat, Sum a meipso edoctus. Quod ipsum, diverso saltem loquendi modo, idem Maeonides de Demodoco exultit, cum, *canens suavitatem huic Musam dedisset*, canit: Ab hac tales, sine praecceptore docti, Graecis etiam *μυσόληπτοι*, a *Musis afflati*, itemque *μυσοθήναι*, a *Musis inspirati*, dicuntur. Nam, auctore PHAVORINO *μυσοθήναι παρὰ μυσῶν διδάχθηναι*. Qui vero iidem *αυτοδιδάκτοι* simul, et *μυσοδιδάκτοι* sint, et per se didicisse recte dicuntur, quae Deorum munere, atque afflatu accepissent, pulchre quaerit, et dicitur idem MAXIMVS, quando Demodocum rogat: *Quomodo, amabo, Vates Optime, sponte tua didicisti, qui a Diis canendi artem accepisti, fateris, qui soli praecceptores errare non possimi?* Atque pereleganti, et vere acuto quaesito mox subdit: *Respondere posses Demodocens, quod divites, qui hereditate oper suas consecuti sunt, homini responderent, quem rei quaerendae intentum viderent, spontaneas se oper possidere, nulla aut arte congestas, aut labore.* In exemplum exinde commemorat Hesiodum, et Melesagoram, et Epimenidem, et Aristeam Proconnelium. Ex quibus primus, accepto a Musis lauri ramo, poeta subito evasit: alter, a Nymphis divinitus inspiratus, sapiens factus est, et vates: tertius, Nymphae Baltae filius, sapientia mystica excelluit: ultimus, isque philosophus, solus neminem, sive ex hominibus, sive ex Diis, praecceptorem citare potuit. Omnes tamen eodem loco, et numero habentur, atque inter *θεία μορφα* doctos referuntur a Maximo. Platonem enim sequens ad huius imitationem *τὸ θεία μορφατῶ διδάκτῶ τῶ ἐν ἐπισήμῃ ὄντι* opponit eodem plane sensu, quo Theophrasto *αυτοφυῆ*, et *τὰ διὰ τέχνης* sibi contra statuit. Quod evidentissimum fit ex eo, quod arbitretur, Hesiodum, figmento de ramo lauri, nihil aliud indicare voluisse, quam *τὸ αυτοφυῆς ἐν τῇ αὐτῆ τέχνῃ*. Est autem *αυτοφυῆς* idem, quod suapte sponte natum, natura sponte proveniens, sicuti *αυτοφυῆ* erant omnia, quae a terra percipiuntur seculo aureo, aut postea *αυτοφυῆς καρπῶ*.

*Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura  
Sponte tulere sua.*

Vnde, proprie illos tantum autodidactos esse, consequitur, qui, solo ingenii aestu abrepti, et, industriae, diligentiaeque quasi remigio, veloque, sine rectore compulsi, in scientiarum pelagus aut longius progressi sunt, aut illud torum traiecerunt: qui, sola mentis, animique felicitate, absque omni institutione, et disciplina, absque omni praecceptoris opera boni,

et

et quacunq̄ue in arte, quocunq̄ue in opere praestantes evaserunt. Vfus nihilominus sui  
obtinuit, ut eodem elogio ornarentur non modo, qui praeceptore profusus omni defuit  
fuissent; sed etiam, qui praeceptoribus quidem visis caruissent, non tamen mortuis, et  
fidis illis consultoribus, qui et libere, quid sentiant, aperiant, et consolentis spem raro  
fallunt; si quis in illos incidat, qui melioris sunt notae. Verum enimvero, si SOCRATEM  
auscultamus, nemo non, qui discit, a se discit, se ipso magistro utitur, et autodidactus est.  
Multus in hoc argumento est PLATO, cum in *Menone*, tum in dialogo, *Docerine virtus  
possit? multus MÄXIMVS*, quando quaerit: *An aliquis divinitus bonus fiat?* itemque: *Verum  
disciplinae sint Reminiscientiae?* multus AVGVSTINVS in libro, quem de Magistro inscrip-  
sit. Dissensus, qui inter hunc, et Socratem intercedit, tantus non est, ut is e Socraticorum nu-  
mero eiici debeat, aut hinc excludi. Satis bene illis convenit, dum ex aequo toti in eo  
sunt, ut ostendant, intus esse in mente, qui doceat, et animum ipsum concipere, ac pa-  
rere: nec Doctorem, qui foris doceat, quicquam proficere, nisi discens genius pluri-  
mum valeat, et ingenium, quod a genio nomen traxit, uberum sit, ac foecundum. Huius  
quippe solus foetus esse, quae quisque norit, attentione, et diligentia formatos, aut ad per-  
fectam maturitatem perductos. Itaque docentem scientiam non conferre, sed elicere, sicut  
obstetrix foetum non gignat, sed educat: ita tamen, ut, quemadmodum multae gravidae  
vel ignavia feminum, vel dolorum vehementia, vel obstetricum imperitia, ahortiant: sic rae,  
aut paucae animae ad perfectum, et plenum finem suum perveniant, nisi Socratis ob-  
stetricia accedat, auxiliumque, et opem ferat, i. e. nisi praeceptor et ipse doctus, et fide-  
lis, et usu, experientiaque firmatus adsit. Non libet in praefens omnia τῆς μαίεσεως  
Socraticae propria exponere, cum otium fecerit ipse PLATO in Theaeteto. Nec vacat iam  
vel cum Socrate, vel cum Augustino, de fundamento, et firmitate illorum doctrinae con-  
tendere, aut quae iidem vel de conceptione, vel de parturitione, vel de partu  
ingeniorum tradiderunt, ad examen revocare, et quam bene, vel male singula sese ha-  
beant, pluribus discipulare. Quae de praeceptore movent, non possum non ambabus  
amplecti ulnis. Si enim discere eniti est, principia dubitandi, tanquam dolores, partum praee-  
cedentes, et excitabit, et mitigabit feliciter dexter magister: sin cum eodem Socrate sit ven-  
nari, optimus vertago, cuius ductu, et indicio omnes veritatis latebras, et interiora cubilia  
perrepere venator possit, doctus erit magister: sin idem, auctore Aristote Proconnesio, quae-  
dam sit animae peregrinatio, optimus dux, et comes erit fidelis magister. Hic et viam praee-  
rire, et faciem, ubi opus fuerit, allucere, et, ne peregrinans in avia, periculososque anfra-  
ctus, aut labyrinthos incidat, cavere poterit. Intelligitis, Doctissimi, Ornatissimi, Viri, et luve-  
nes, qui Philosophiae, et bonis artibus sedulo datis operam, quorum hunc haec tendant. Vobis Deus  
O. M. praecleara concedidit ingenia, quae et parturire ipsa, et parturientibus aliis professe  
queant egregie. Vobis incumbit bona ingenita reverenter habere, et semina virtutum, sci-  
entiarumque, quae benigna mater mentibus vestris inscivit, assiduo colere studio, et omni  
perficere diligentia. Habent multum gratiae, et delectationis fructus praecoces: sed plus  
admirationis, et honoris habent eximia diligentiae specimina aetatis juvenilis. Ad haec vos  
provocat haec oratio, qui flos estis philosophantium. Vestrum est studia, in quibus recte  
instituti estis, non ut adminicula tantum; sed etiam, ut firmissima solidae doctrinae  
praefidia maximi facere. Agite itaque, Animae Nobilissimae, qui indole vestra dignus est,  
capessite gradum Magisterii, eundemque ad honeste eruditionis exercitia, et facultatem do-  
cendi conferre. Haec enim unica, certissimaque ratio est proficendi feliciter, et compa-  
randi dexteritatem, ac confidentiam, quae viros, ad bonum publicum natos, ornata maxime,  
et commendat. Accedite omnes, quotquot honoris illius potiundi desiderio tenemini, et  
mature nomina vestra profitemini apud me, quem ordo noster per hoc spatium mense  
Decurionem, et futurum vestrum Brabeutam esse voluit. Ego nemini deero, neque cu-  
iusquam spem frustrabor, qui mihi, et reliquis studiorum aestimatoribus, suam prob-  
abilem eruditionem, et ea afferret studia, quae leges, laudabiliter constitutae, requirunt. De-  
us immortalis, cui literae nostrae curae sunt, clementissime coeptis nostris annuet, et pro-  
videbit, ut solemnia, quae etiam difficillimis hisce temporibus non interrupta consuetu-  
dine celebramus, nobis universis optato eveniant, et toti reipublicae literariae sint salutaria.  
P. P. in Festo Visitationis Mariae, A. O. R. c. i. ccccvi.







Ung VI 3

W 18  
V 17





S PHILOSOPHORVM

IN

A WITTENBERGENSI

CANVS,

ANNES

TISTA

CHELIVS,

THEOLOG. DOCTOR,

ET

S EXTRAORDINARIVS;

RO ORDINARIVS,

ARTIVM; ET PHILOSO-

E STUDIOVIS

. P. D.